B. N. C.
FIRENZE
1038
9

1038 g

II

BAND.

D. O. M.

Sereniſsimo, ac Reuerendiſs. Principi

CARD. LEOPOLDO AB HETRVRIA

LVDOVICVS PANDOLFINI

D. D. D.



PISIS,

Typis Ioannis Ferretti. Impreſſoris Archiepiſc. 1674. *Super. lic.*

Sereniſs. ac Reuerendiſs. Principi

CARD. LEOPOLDO AB HETRVRIA

LVDOVICVS PANDOLFINI

S. P. P.

QVod inclito Nomini tuo Purpuratorum decus, & Litterarum præſidium LEOPOLDE Cardinalis *Ampliſsimè has Philoſophicas Theſes conſecratum iuerim, multa me, ſed duo præcipuè incitarunt. Primum eſt, quia viderim omnes bonas Artes à tè Mirificè adamari, illoſq. qui conſequendæ Philoſophiæ deſiderio capiuntur beneuolentia ſumma, & beneficentia cumulari; Et fuit quidem inſitum familiæ tuæ diſciplinas Omnes Suſtinere vitiòq. temporum collabentes, ac ruituras regali Munificentia ab interitù vindicare, vt quælibet meliora Studia olim fœdè iacentia ab optimis Maioribus tuis, regijſq. Atauis in priſtinum reuoca-*

ta nitorem teſtantur. Tù verò non ſolum omne litterarum genus impensè iuuas, & ſinù excipis, ſed illam præcipuè diſciplinam, quæ tota in contemplando eſt, proniori quodam Animi affectù amplificatam, exaltatamque voluiſti. Res Pulcherrima, & digna, quæ venturis referatur temporibns, Pœnates tuos attritos conuentù tot Geometrarum, & Philoſophorum, qui inquiſitioni abditarum, & adhuc latentium Rerum adniterentur, veraſq. illarum Cauſas non fallentibus experimentis è latebris, cæcaque caligine educerent. Secundum quod mihi, meiſq. omnibus præſens, ac Salutare Numen te perpetuo ſenſerim; erexiſti mè non ſemel Conſilio, & iure quocumq. te Patronum aſſeruiſti; Cui itaq. potius, quam tibi iuueniles labores meos nuncuparem? quos interim excipias libenti Animo ſinaſq amplissimo tui Nominis Titulo decoratos prodire, dum Votis Ardentiſsimis opto, vt te Deus diù ſeruet publico omnium bono, illudq. tribuat, vt

Iliacos æquare Senes, aut vincere poſſis.

Theſes Philoſophicæ.

I.

PRincipia rerum naturalium poſita ab Ariſtotele, materiam, formam, & priuationem, ſi eo ſensú accipiantur, quò vulgò ſumuntur a Latinis, Arabibuſque interpretibus, non immeritó à recentioribus improbari aſſerimus; Si quis autem cum Græcis ſentiat expoſitoribus, præcipueque cum Alexandro Aphrodiſienſe] materiam nihil aliud eſſe exiſtimante, quam impartibiles Atomos, ſeú Corpuſcula;] Formamque nihil aliud, quam eorumdem Corpuſcolorum ordinem, ac denique priuationem nihil aliud, quam ordinis prædicti Carentiam quamdam, is facilè Ariſtotelem ſummo ingenio Philoſophantem ab vnaquaque calumnia vindicabit.

II.

Naturam non abhorrere à vacuo exiſtimamus, immò ipſo ablato, omnem rarefactionem, condenſationem, omnemque motum auferri neceſſario cenſemus.

III.

Grauium velocitas, dum ipſa deorſum tendunt non ſeruant grauitatis proportionem.

IV.

Eorumdem deſcendentium velocitatem increſcere ſecundum impares numeros, Primus omnium animaduertit ſapientiſſimus Galileus, & euidenti demonſtratione docuit poſteritatem.

V.

In vacuo motus non fieret in inſtanti, ſed omnia moucrentur æquali celeritate.

IV.

Non diffidimus ſuſtinere tamquam veriſſimum Platonis aſſertum, ac aliorum negantium poſitiuam leuitatem, exiſtimantes cum ipſis in corporibus non aliud eſſe principium intrinſecum motus, niſi erga Centrum Telluris, atque adeo ſurſum non tendere aliquod Corpus, niſi extruſum à grauiori.

VII.

Graue deſcendendo acquirit impetum ſufficientem, vt ad eamdem altitudinem poſſit ſeſe reducere.

VIII.

Penduli eiuſdem vibrationes, ſeù magnæ, ſeù paruæ, fiunt in eadem frequentia.

IX.

Proiecta non mouentur à medio, ſed à virtute impreſſa, quinimò proiectorum motus impeditur à medio potiuſquam promoueatur, vt docent Peripatetici.

X.

Glaciem non eſſe aquam condenſatam, ſed rarefaſtam cum Galileo defendimus.

X I.

Omnia Corpora Aqua grauiora per ipſam Aquam deſcendunt, ob exceſſum grauitatis, quam habent ſupra illam.

X I I.

Corpora æquè grauia in ſpecie dicuntur ea, quorum æquales moles æquè ponderant; Equè grauia autem grauitate abſoluta illa dicuntur, quę æquè ponderant, quamquam mole inæqualia.

X I I I.

Momentum apud Mechanicos ſignificat illam virtutem, efficac iam, & vim, qua Motor mouet, & Mobile reſiſtit, & huiuſmodi virtus non ſolum dependet à ſimplici grauitate, ſed à velocitate ipſius motus.

X I V.

Si immergatur ſolidum in aqua, & momenta reſiſtentis Aquæ æqualia fuerint momentis ſolidi ante totalem immerſionem procul dubio fiet æquilibrium, neque magis immergetur ſolidum. Si verò ſolidi momentum perpetuò ſuperauerit momenta, quibus Aqua extruſa ſucceſsiuè reſiſtit, nè dum ſolidum ipſum ſubmergetur totum ſub Aqua, ſed deſcendet etiam ad fundum vſque; at ſi in puncto omnimodæ ſubmerſionis continget æquatio inter momenta ſolidi præmentis, & aquæ reſiſtentis; quies eueniet vbicumque locorum ſolidum ipſum conſtituatur.

X V.

Figuræ diuerſitas ratio eſſe non poteſt, quemadmodum

dum credidere quamplurimi, cur Corpus aliquod deſcendat, vel aſcendat in aliquo fluido, poteſt tamen amplitudo eiuſdem figuræ retardare velocitatem, non tamen impedire omnimodè Motum.

X V I.

Calefactionem Corporum fieri per appulſum corpuſculorum è calido effluentium dicimus; ad frigus verò quod attinet, quamquam multa videantur ex ſola Caloris abſentia frigeſcere, nihilominus, niſi frigus extrinſecus introducatur, non tàm profectò frigeſcere, quam decaleſcere ſunt cenſenda, vndè veroſimilius eſſe arbitramur frigus re vera quid poſitiuum eſſe.

X V I I.

Lux eſt ipſa ſubſtantia Corporis lucidi, quę per mèdium diffunditur. Colores à lumine reflexo, ſiuè refracto non diſtingui realiter arbitramur.

X V I I I.

Sonus nihil eſt diſtinctum à Corpuſculis, quæ certa ratione configurata, & à rè vſque ſonantè ociſſimè translata vbi in Aurem ſubierint Organum mouent, ſenſionemq. dictam auditionem faciunt. Diſcrimen verò ſoni Acuti, & grauis Oriri, non ex velociore, aut tradiore motù, vt exiſtimat major Philoſophantium numerus, ſed ex frequētiore, aut infrequentiore.

X I X.

Animalia ex putri generari hactenus credita, ex ſuis ſeminibus generantur, vt vir doctiſſimus Franciſcus Redi in ſuis inſectis apertiſſime oſtendit.

X X.

Concotio Cibi in Ventriculo non à ſolo naturali Ca-

lore

lore fit, vt comuniter aſſerunt, ſed ab humore quodam diſſoluente Cibum, vt ab Aquis fortibus metalla, vel à fermentis quælibet proportionata Corpora diſſoluuntur.

XXI.

Cœleſtia Corpora non ſolum ſecundum partes Corruptibilia eſſe affirmamus, vt nupere Obſeruationes Aſtronomorum conuincunt, ſed etiam ſecundum ſe Tota interitura multis in locis Sacræ Paginæ Teſtantur.

XXII.

Cometa non eſt incenſa, ſed tantum à Solis radijs illuſtrata exaltatio.

XXIII.

Iris, quam nihil aliud eſſe dicimus, niſi Solare Lumen à tenui, roridaque Nube ad oculum vſque noſtrum reflexum, numquam ſemicirculo maior eſt: ad varium autem reſpectantium ſitum, ſic ipſa pariter variatur, vt prorſus impoſſibile ſit, vnam, & eamdem Irim ſimul à multis videri poſſe.

XXIV.

Circulus Lacteus eſt plurium Stellarum Congeries, vt ſibi perſuaſit ſapientiſſimus Democritus, & ſummus ingeniorum Galileus, miro ſuo opticò tubo ipſis ſenſibus ſubiecit.

Theſes

Theſes Theologicæ.

I.

NOn ſolum impie, ſed inſulsè etiam, & abſque vlla nè dum probabili, ſed nec mediocri etiam ratione dicimus, negaſſe Diagoram Diuini Numinis exiſtentiam, quam ſecluſo Lumine fidei, veriſimilibus quidem rationibus probari, at (quid quid afferat Carteſius) minimè tamen firma demonſtratione conuinci poſſe arbitramur.

II.

Impiè aſſeruiſſe dicimus, Anaximandrum, Zenoſanem, Democritum, & Epicurum, aliosq; complures, Deum non diſtingui ab Vniuerſo Corporeo, ſed ipſum eſſe Vniuerſum continuatione vnum, extenſione infinitum, immobile ſecundum totum, mobile verò ſecundum partes, & in Actionibus neceſſarium.

III.

Deum videri poſſe ab intellectú creato, ſiuè Angelico, ſiuè humano, vt fides docet, & Sancta confitetur Eccleſia. Videbimus eum ſicuti eſt inquit Io: Apoſtulus; nulla tamen demonſtrativa ratione probari poſſe, ſuſtinemus.

IV.

Ad ipſius Dei intuitiuam viſionem ſpeciem impreſſam de facto non admittimus. An verò implicet vtramque Problematis partem defendimus.

V.

Intellectus Creatus, vt videat Deum, ſupernaturali indiget auxilio, quod Lumen gloriæ appellitatur,

quo

quo ſuffultus videt omnia attributa Diuina & Perſonalitates, non tamen diuinam comprahendit eſſentiam.

V I.

Optimè Philoſophatum ſuiſſe Platonem, aſſerimus, cum dixit. Ideas dari; nihil aliud intellexit diuinus ille Philoſophus per Ideas, niſi rerum imagines exiſtentes in mente diuina, vt optimè animaduertit Seneca, & D. Auguſtinus.

V I I.

In Deo datur rerum Omnium inuariabilis, & perfectiſſima scientia, alia, quæ dicitur ſimplicis Intelligentiæ, quæ ad Omnia merè poſſibilia ſe extendit; alia viſionis, quæ circa Omnia exiſtentia verſatur.

V I I I.

Deus cognoſcit certè, & infallibiter non ſolum omnia futura abſoluta contingentia libera, verum etiam conditionata cuiuſcumque generis, ad quæ nullo modo neceſſariam eſſe dicimus, quid quid aſſerat Molina, eiuſque Sectatores Scientiam, quam mediam appellant.

I X.

Erraui ſſe dicimus Heraclitum, & Epicurum negantes diuinam Numinis prouidentiam, quam fides Catholica docet, & Naturæ lumen veriſimillimis rationibus confirmat.

X.

Optimè definitam fuiſſe a Boetio aſſerimus, cum lib. 4. de Conſolatione dixit, quod Prouidentia eſt diuina ratio in ſummo omnium Principe conſtituta

ſtituta, quæ cuncta diſponit, ſiue eſt ratio ordinis rerum in finem.

XI.

Prouidentia, quæ ſupponit voluntatem efficacem finis ſemper aſſequitur finem intentum, non verò quæ inefficacem voluntatem, ſiuè, vt aiunt, ſimplicis complacentiæ; Hanc quidem aliquibus rebus neceſſitatem cauſis videlicet naturalibus; quibusdam verò contingentiam nimirum liberis imponere defendimus.

XII.

Errauiſse dicimus Ciceronem, & quamplurimos alios ex antiquis Philoſophantibus exiſtimantibus, diuinam Prouidentiam non ſe extendere ad ſingula, quæ in Mundo fiunt, cum certiſſimum ſit, & de fide, Dei Optimi Maximi ſummam Prouidentiam, omnes, & ſingulas res etiam minimas attingere, inquit enim de ipſo Sapientia attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit Omnia ſuauiter.

L A V S D E O.

1038.9

SS 557385

1038.5

Angelo Pandimiglio
restauratore
825650 * 8274800